

F.K. 64.

7

Plattenzettel

Z d  
2436



MEMORIAE  
VIRI  
PRAENOBILISSIMI, AMPLISSIMI  
atque EXPERIENTISSIMI  
DN.  
**IACOBI HENRICI**  
**PFANNENSCHMIDII,**  
MEDICINAE DOCTORIS & PRACTICI  
CELEBERRIMI, CIVITATIS ANTIQVIORIS QVED.  
LINBURGENSIS CONSVLIS ET ILLVSTR.  
QVEDLEI INSPECTORIS  
MERITISSIMI,  
COMPATRIS SVI ETIAM POST FATA OMNI  
HONORIS GENERE PROSEQVENDI,  
QUI PRAEMATURA MORTE  
A. cI 10 cexix. d. IX. Januarii  
DECESSIT,  
SACRVM ESSE VOLVIT  
**M. TOBIAS ECKHARDVS, R.**

---

QVEDLINBURGI,

Literis IO. GEORGII SIEVERTI, Typogr. Aulic.



PRAE NOBIS  
EX PRINTERIS

**T**RITUM VULGATUMQUE DICITUM EST GALENI,  
POST COUM IULIUM HIPPOCRATEM, MEDICORUM PRIN-  
CIPIS: *Medicum non decere mori iuuenem.* Non  
difficile ad colligendum est, quas habuerit ratio-  
nes asserti. SANITATIS MAGISTER EST MEDICUS, eam-  
que alii vel restituit labefactaram, vel conseruat arte, quam profi-  
tetur, salutari, modumque vietus & viuendi rationis praescribit, vt  
vita ad senectutem vsque prolongetur. Quod alii, id sibi potius  
praestabat, suamque ita curabit valetudinem, vt eam conseruet, ne  
debilitetur, sed integra maneat, viribusque vegeta, donec aetate  
confectus vitae statione decedat. Etenim quisque vitae cupiditate  
ducitur, & cum ob mortalitatis legem omnibus positam semper  
viuere nequeat, quam diutissime tamen inter viuos optat existere,  
etiam si miser sit, & vt dixit quidam, debilis fieri manu, debilisque  
pede debeat. Certe Galenus in se ipso luculentum dedit experimen-  
tum, qui corpore licet ac valetudine imbecilliori esset, quod  
de se ipso prodidit, artis tamen ope sua moderataque vietus ratio-  
ne, vt pote parcus admodum cibi potusque, & nunquam de men-  
sa surgens ad satietatem cibo repletus, ad extremam vsque senectu-  
tem vitam produxit. Augustus Buchnerus, stator literarum sui  
temporis clarissimus, scribit, plerosque auctores tradere, centum  
& quadraginta eum annos vixisse; a) est tamen, qui anno Christi  
centesimo quadragesimo, aetatis autem septuagesimo, eum  
obiisse prodidit, vt propterea Io. Iacobus Baierus, medicus clari-  
ssimus, ne quidem inter medicos fenes eum connumeret septuage-  
narium. Non exquiram hoc argumentum, & Medicorum id fi-  
liis relinquam, satis habens, quod vnamini veteres consensu tra-  
dant, ad summam eum peruenisse senectutem, nec morbo aliquo,  
sed senectute viribusque defectum deceisse. Neque vero solus  
ille

a) *Dissert. Acad. p. 265. Jo. Langii L. I. Epist. Med. 79.*

ille e Medicorum familia ad praegrandem aetatem peruenit. Quod si FRIDERICI IACOBI REIMANNI, Hildesiensium iam Antistitis meritissimi, sequamur coniecturam, in hunc censum & ille veniet, qui omnium maxime longaeus inter mortales fuit, & milles propemodum annos est aescutus, Methusalem videlicet, orbis antediluviani Medicus. b) Ex nomine, quod omen hic vobetur habuisse, defumitur argumentum, quod lingua Ebraea *depulorem mortis* significet, vt pote compositum ex *מָוֵת mors*, & *רַלְאֵל cieciit, expulit*, non fecus atque Asclepius Gracorum dicatur a particula priuante, & verbo σκέλλεσθαι quod *mori* denotet, quasi arte sua vetet mori homines, vel mortem arceat. Conuenit Dauidis Chytraci, Theologi atque Historici clarissimi, interpretatio, cui *Methusalah est mortis misio*, vel *moris gladius*. c) Ingeniosa est obseruatio: nam vt vegeti valentesque fuerint primi orbis homines, vt in aliquot etiam secula perdurarint; morbis tamen illi prorsus omnibus haud caruerunt, & medici pariter indiguerunt opera, quam quisque sibi, vt veri sit simile, praestitit, vt tamen unus altero maiori valuerit rerum usu & experientia, aliisque consuluerit. Fortasse Henochus, cum filio nomen imposuit, de spirituali cogitauit morte, eademque per promissum mulieris semen pellenda, quod de Noae obseruatur nomine; d) ei tamen non repugnat, nomine eum excitatum, suo naturali etiam pellendae morti operam dedisse. Interim haud me fugit, quae sit MATTHAEI HILLERI, eruditissimi viri, de nomine Methusalah sententia, quod idem ait significare, ac *hominum propago*, vel quod mox addit, *homines armorum, seu armati*. e) Sunt tamen non pauci in Medicorum ordine, qui grandaeui & aetate graues, ad exemplum Medicinae parentis, Hippocratis, e vita abierunt, & IO. IAC. BAIERVS, Medicinae in Altorfina Academia Professor clarissimus, septuaginta sex enumerat medicos veteres & senes, quorum plerique annum octogesimum excesserunt, in Dissertatione epistolari ad tot annorum Medicum celeberrimum IAC. PANCRATIVM BRVNONEM, sui ordinis in Academia Altorfina Professorem seniorem, qui an. aet. XXCI. decessit MDCCCV. Unum & alterum his iam addo. Hieronymus Fracastorius, Poeta & Medicus Veronensis, septuagenario maior obiit. f) Petrus Petitus & Quercetanus, primarii in Gallia Medici, ille quidem Fratris regii, hic Ducis Burgundiae, ad nonagesimum secundum usque aetatis annum optime

b) Histor. literar. antediluviana p. 87. 160. c) Onomastic. Theol. p. 274. d) B. Calovius Com. in Genef. p. 607. e) Onomast. Sacr. p. 98. 301. f) Jac. Burckhardt in Medic. humanitatis vindice p. 6. conf. Vitae selectae quorund. eruditiss. viror. p. 14.

valuerunt, id quod summae eorum sobrietati, qua parum quotidie alimenti assumperunt, adscribitur. g) D. Placentinus, medicus viris Romae, octogenario maior haud ita pridem obiit. h) Robertus Constantinus, Medicus Cadomenis, & elegantiorum literarum peritissimus, anno aetatis centesimo tertio naturae perfoluit debitum MDCV, cum viribus corporis, ingenii memoriaeque integer ad id vsque temporis fuisse. Franciscus Kindlerus, Medicus Zittauiensis in superiori Lusatia, centum & octo annorum senex, diem obiit supremum; & Godofredus a Lanckisch, octogenarius ibidem MDCCII decepsit. Henricus Pantaleon, Theologus, Historicus atque Medicus Basileensis, qui artem Medicam multum illustravit, variisque scriptis est cognitus, septuaginta duos excessit annos. Hieronymus Niger, Paduae Doctor ac Professor Medicus eximius, octogenarius vitam cum morte commutauit. Annotauit hosce Chr. Altmannus in Diff. de senio eruditorum, in cuius serie historica plures occurrunt Medici senes, qui per tria secula nouissima floruerunt. i) Aquila, omnium Italicorum Medicorum sui temporis princeps, ad Galeni peruenit aeratem, id est, ad centesimum fere aetatis annum, vt Richardus Pacaeus commemorat apud Thomam Crenum. k) D. Casimir Gustaus Garlieb van der Mullen, Reg. Borusi. Archiater a. aetatis octogesimo sexto debitum naturae perfoluit. l) Martinus Weise, trium Electorum Brandenburgicorum per annos LX Archiater, obiit a. aetatis octogesimo octavo. m) Michael Neander, Medicus ac Professor Ienensis, anno octogesimo quinto, & Guernerus Rolfincius, itidem Professor Ienensis per celebris, ad annum aetatis septuagesimum tertium robusto semper corpore fuit n) Sed quid praeterita sectamur, cum hodie Ienensis Aesculapius, GEORGIVS WOLFGANGVS WEDELIVS, Medicorum Alpha & Decus, illustre exemplum sit. At non omnibus medicis hanc adire licet Corinthum, cum plerique ad senectutem neutquam pertingant, & potior eorum pars breuem admodum vitam vivant, vt laudatus supra Baierus loquitur. Non magni res laboris foret, cum si quis vellet suscipere, colligere medicos, qui in optima florentissimaque aetate ac iuuenes mortem cum vita commutarunt, atque epitaphium meruerunt, quod Domitiani Imp Medicus, Lucius Arruntius Sempronianus, sibi iussit erigi.

Me consurgentem valida fortuna iuuenta  
Destituit, rapidis imposuitque rogis.

Dabi-

g) Act. Erudi. Lipsieni. a. MDCCXI. e Dionis libello p. 428. b) ibid. p. 29.  
i) Prodicit Lips. 1711. p. 28. f) k) Animadu. Philol. & Histor. P. VII. p. 24.  
l) Grundmanni Offa & Cineres p. 77. m) Io. Boedikeri Triumphbogen P. II.  
p. 689. n) Zeumeri vitae Profess. Ienensi. Med. p. 15. 39.

Dabimus corum nonnulla, qui infra annum XL, quae optima  
viri aetas, cuius maximus vigor est, diem suum obierunt. D. Gis-  
bertus Longolius, vocatus Rostochiensis Professor, anno aetatis  
XXXVI. Valerius Cordus, Haslus, artis pharmaceuticae restaura-  
tor, in itinere Romae a. XXIX. D. Petrus Lotichius Secundus, Poe-  
ta insignis, & Medicinae Professor Heidelbergensis, a. XXXII. Io.  
Moibanus, medicus Augustanus, a. XXXVI. D. Petrus Monauius,  
Rudolphi II. Imperatoris Archiater, a. XXXVII. D. Michael Meu-  
erus, medicus Prussiacus, a. XXXIII. qui diem & horam mortis fibi  
predixit. D. Conradus Battus, Rostochiensis medicus, a. XXXII.  
& D. Lubertus Esthius, Professor Heidelbergensis, a. XXXVII. fue-  
runt extinti. o) D. Mauritus Blumius, in Academia Viteber-  
genfi designatus Professor, nondum triginta natus annos, D. Jo.  
Georgius Pelshoferus, ibidem Medicinae Professor, a. aet. XXXVIII  
& Wolfgangus Schallerus, Medicinae Candidatus, vigesimo octa-  
uo aetatis anno Vitebergae decesserunt. p) Christophorus Schel-  
hammerus, D. & Prof. Medic. celeberrimus a. xxxii. D. Io. Arnol-  
dus Friderici, in eadem Academia Prof. Publ. nondum xxxv. natus  
annos; D. Henricus Ernestus Wedelius, ibidem Medicinae Profes-  
sor, tanti Aesculapii filius, a. xxxviii. extrellum vitae spiritum edi-  
derunt. q) D. Mich. Lyferus, trium Daniae insularum, Falstriae,  
Lalandae & Monae Medicus, inuentis anatomicis celebratus, a.  
xxxiii. r) D. Cæso Grammius, Physices Professor Kiloniensis, a.  
xxxiii. s) D. Ernestus Sonnerus, Philosophus subtilis, & medicae  
artis Professor Altorffinus, a. xxxix. t) D. Jo. Fridericus Ultima-  
cher, diuersorum Imperii Statuum Archiater, atque S. R. I. Aca-  
demiae Naturae Curiosorum Adiunctus, a. xxxix. u) & Aloysius,  
Thysius, Vicentinus Medicus, a. xxv. animam exspirarunt. D.  
Melch. Eccius, Leorini Silesiorum Physicus Ordinarius, a. xxxviii.  
Io. Hoppius, Philos. & Med. D. & Pathol. in Academia Lipsi. Prof.  
Publ. celeberr. a. xxxvii. D. Georgius Wirthius, Viennae in Au-  
stria Medicinae Practicus, a. xxx. fatis concesserunt. x) Dan.  
Henricus Meibomius, ill. Henrici filius, Medicae artis D. & maxi-  
mae exspectationis, nondum triginta natus annos, Parisis fuit ex-  
stinctus. y) D. Christianus Wedelius, Georg. Wolfg. filius, Med.

b

Pra-

o) Vitiss horum exposuit Melch. Adami in Vitis Medicorum. p) Aug. Buchnerus  
Diff. Acad. n. 221. 358. 925. q) Zeumeri vitæ Profess. Jenensi speciatiæ medi-  
cor. r) Reimman. Histor. Literar. P. III. sect. IV. p. 667. l. s) Morhoff orat.  
& Progr. p. 687. l. t) Baierus von der Universität Altorff p. 75. u) Append.  
ad an. VII. Ephemer. Med. Phys. Natur. Curios. p. 267. l. x) Io. Caspar Eberti  
in Leorino eruditio. y) Progr. Acad. Julianæ in funere parentis Henr. Meibomii  
a. 1701.

Practicus Lubecensis, a. XXXVII. z) L. Salomo Cellarius, viri celeberr. Christophori filius, vix viginti quatuor annorum, & D. Jo. Leonardus Geiniz, Medicus Altenburgensis, nondum xxix. annorum fuit, cum moralitatis exuere iugum. Sed non est, vt longe abcamus, & aliunde conqueramus exempla, cum Quedlinburgum nostrum exempla nobis tuppedit. Io. Fridericus Breiterus, Quedlinburg. Io. Praetorii, Rectoris meritissimi, ex filia nepos, Medicinae Candidatus dignissimus, Lipsiae diem cladebat ultimum MDCXC. vix annorum XXIV. L. Dan. Christophorus Meineke, Alberti, Reuer. Ministerii Senioris, quem sub anni initium LXXXIX fere annorum senem extulimus, filius MDCXCV. an. aet. XXXVII. L. Georgius Zapfius, Medic. Practicus Quedlinburgensis, MDCXCVI. aet. XL. L. Carolus Gottlieb Carstenius, Quedlinb. MDCXCVII. a. aet. XXXIII. L. Jo. Tobias Schmidius, Samuelis, Rectoris meritis famaque incliti, filius, Guelpherbyti Practicus experientissimus, MDCXI. a. aet. XXVII. Carolus Jacobus Röserus, Med. D. ac. Prof. Publ. Regiomontanus cel. MDXXXII. a. aet. XXXVI. viuendi finem fecerunt. Plura non addo exempla, cum facile numerum augere liceret, & nonnulla etiam recensuerit eruditissimus auctor vitarum Germaniae doctorum, qui hoc anno MDCCXIX. obierunt, a) fatis habens XXXII. enumerasse. Vtinam hic iungendus iam non esset vir munere doctrina & experientia nobilissimus, **JACOBVS HENRICVS PFANNENSCHMID**, Medicinae Doctor, antiquioris Ciuitatis Consul, Gymnasiique Inspector meritissimus, qui tot annos, quot exempla commemorauit, XXXII. exegit, cuiusque beatis manibus hoc scripturae genus pro sua in me singulari voluntate debo, sed moestus persoluo. Medicum Politicum & Consulem ei destinaueram, si adiisset denuo magistratum; at mors praematura & inopinata hoc anteuerit institutum, & de praesenti cogitare iussit arguento. Quemadmodum autem illi grandiores aetate medici non solius artis debent beneficio longacuitatem; ita non Medicinae est vitium, hos mori iuuenes atque aetate florentes. Multum facit ad vitae durationem longiorem vel breuiores, quibus quis natus sit parentibus, valentioribus an debili corpore affectis, quo puer vsus genere nutritionis, quem hauserit aerem, quo modo studia tractauerit, moderate an intemperie quadam, nimisque indulserit lucubrationibus, vigiliis atque laboribus, fregeritne vires peregrinan-

z) Chr. Grundmann ossa & Cineres a. 1716. p. 75. quibus ipse mox aggregatus fuit.  
a) P. I. p. 33. f. vbi XI. enumerantur Medici, qui in optimo aetatis flore obierunt; quibus D. Augustinus Andr. Thummelius, Poliater Altenburgensis, D. Bernhardus Langius, Physicus & Consul Leorini in Silesia, D. Barthol. Reusner, Poliater Zittauensis aliquae possent adiungi.

grinando aliae ratione, num satis caute in Chimiae sit versatus operationibus, an adfuerit aegrotis, quorum morbi malignitatem aliquam ac contagionem spirant, satisque praesenti fuerit animo, nec exhoruerit ad inopinatum aspectum gestumque aegrotantium. Haec & alia similia in causis possunt numerari, cur breuior sit tum aliorum, tum Medicorum aetas. Primum autem sibi locum vindicat <sup>de</sup> illud Hippocratis, siue id, quod diuinum est, & in morbis miraque eorum varietate, & in curatione, & in ipso Medico obseruatur, quod ab eruditissimo GEORGIO MORHOPIO, vt in aliis disciplinis, sic in Medicina quoque commonstratum, b) vel ut christiano magis more loquar, diuina prouisio summi vitae necisque arbitri, in cuius manu sunt tempora nostra, cuiusque libro inscripti sunt omnes nostri dies, quotquot eorum futuri sunt, Psalm. cxxxix. 16. Quod si numerus dierum, quem destinavit Numen, nondum completus est, remedia etiam leuia & minus accommodata grauissimos lethalesque morbos pellunt; contra ea vel exquisitissima efficacissimaque medicamenta sine successu adhibentur. Breuior vitae cursus fuit B. D. Pfannenschmidii; sed a summo rerum nostrorum moderatore sic constitutus, vt nulla ars, nullaque vis medica supremo ultimoque fato declinando fuerit. Vix dimidius exactus est annus, cum beato viro adesse, & familiares inter nos faceremus sermones, atque ille referret, iuueni sibi a iuene fuisse praeditum, fore ut honores & facultates consequeretur aliquando, sed aetatem non magnam attingeret; cui ego: Deum vitae nostraræ arbitrum esse, nec ab eiusmodi praedictione vitam mortemque nostram pendere. Comprobauit tamen euentus illud quaecunque vaticinium, monstrauitque, Deum hunc ei terminum breuiorem fixisse. Sed ut breuior vitae cursus fuerit, memoria tamen cum corpore non est tumulata, nec idem tumulus, qui illud contexit, hanc etiam obruit; sed doctrinae, virtutis munerasque administrati laus eam quam maxime longam efficiet. Natus est Noster B. Consul a MDCLXXXVI. die xi. Octobris patre Perreuerendo doctissimoque viro, Dn. AVTORE PFANNENSCHMID, Ecclesiae; quae Wolfslebiae & Endorfii in comitatu Mansfeldico Deo colligitur, Pastore meritissimo, & matre ANNA ELISABETHA SCHARSCHMIDIA, viri maxime Reuerendi Amplissimique, CHRISTIANI SCHARSCHMIDI, ad D. Aegidii hac in ciuitate Pastoris ac Reu. Ministerii Senioris venerabilis, filia, quorum cqua fidelium coetus per sacri fontis ablutionem mox est insertus. Nondum bimu-

b) in Orat. & Programm. p. 551. f. & in Polyhistor. L. I. c. 12. conf. Justi Vesti Diff.  
<sup>de</sup> Hippocrat. Erf. 1702.

Ius patre fuit orbatus, maternaque curae relictus: alterum vero parentem, cura non minorem, inuenit in viro Nobilissimo Prudentissimoque, Dn. PETRO TELGEN, Consule in Neapoli meritissimo, cui mater vidua a. MDCXC in manus conuenit. Nihil hic omisit curae ac sollicitudinis, quae ad probam rectamque educationem a parente poterat requiri, cum & ad pietatem, & ad mentis culturam eum formari curauit solicite. Aetas quam primum permittebat, Scholae cum patriae tradidit, qui vbique indolem discendi cupidam non minus, quam capacem ostendit. Anno aetatis vndeциmo Regio Paedagogio, quod Halae tum erat erectum, fuit traditus, in quo per tres annos est commoratus, & literarum, quibus ad humanitatem adolescentia formatur, fundamenta non contempnenda posuit. Hinc consensu parentum atque cognitorum a. MDCC. in illustri Gymnasio, quod Gotha est celeberrimum, formandum fingendumque se dedit, & vsus ibi est coniunctu KESLERI, Sub-Conr. & informatione clarissimorum virorum, Correctoris LAVRENTII, Professoris RICHARDI, Inspectoris HILDEBRANDI, & in primis celeberr. Directoris, GODOFREDI VOCKERODTH, cuius in se fauorem ac benevolentiam singularem vti semper agnouit, sic gratus praedicavit; & in sacrorum doctrina summi Antistitis, HENRICI FERGII. Per quatuor hic substitit annos, studiaque humanitatis ita excoluit, vt ipso indice Directori dignus haberetur, qui ad Academica studia aggredieretur. In eo cum esset, vt in Academiam abiret, matris lethalis morbus effecit, vt huc rehocaretur, quo vltimis adesset, atque extreum pietatis faceret officium. Cum fato illa suo defuncta esset, eodem adhuc anno MDCCIII. discessit Vitebergam, & mense Octobri ciuem ibi dedit Academiae Albo inscriptus. A pueritia singulari naturae impetu ferebatur ad Medicinae studium, tum suam ob praestantiam, tum quod ipse non satis vbique firma esset valerudine, fortasse etiam, quod gens sui nominis ac familiae duos iam dederat Medicos, nimurum, D. IO. IACOBVM PFANNENSCHMID, felicissimum Medicinae Practicum & Physicum Islebiensem, & D. HENRICVM MATTHIAM PFANNENSCHMID, artis chimicae peritissimum, qui Bernburgi Medicinam feliciter facit. Nullum praetermisit tempus in Academia, quod huic non dedisset studio; hinc eos etiam sestatu est doctores celeberrimos, quibus in hac arte feliciter proficere poterat. Aedibus atque coniunctu vsus est Medici longe celeberrimi, D. CHRISTIA NI VATERI, Medicinae Professoris Publici, Sereniss. Principum Anhaltinorum Archiatri & Physici Provincialis longo rerum usu & experientia exercitatisimi, cuius ac cognati mei omni

cultus

cultus obseruantiaeque genere deuenerandi, quo Doctore totum Medicinae cursum priuatim audiuit, & Chimiae etiam peritiam sibi comparauit. Scholas etiam Medicas, publicas priuatasque, frequentauit D. GODOFREDI BERGERI, Professoris Publici, & Augustissimi Poloniarum Regis Archiatri, viri in tantum laudandi, in quantum exquisita Medicinae scientia & elegancia literarum laudari meretur; itemque D. IO. HENRICI HEVCHERI, eiusdem Regis Archiatri, & D. ADAMI BRENDELII, scientiae Naturalis Professoris, qui & ipsi cum Medicina literas humaniores coniunxerunt. Neque auditor horum tantum fuit, & ad Pythagorae se silentium condemnatum existimauit, verum etiam disputando, opponendo ac respondendo deprompsit iterum, quae audierat legeratue, & memoria tenebat. Per biennium hac in palaestra fuit; & cum animo constitutum haberet & alias obire Academias, aliosque audire doctores, vt magis perficeret artem salutarem, cuius egregia iam fundamenta posuerat, Jenam abiit, vbi per annum substitit, & Medicorum nostrae aetatis facile principi, D. GEORGIO WEDELIO, omni studio, atque attentione operam dedit; neque ceteros clarissimos Doctores Professores CRAVSIVM, SLEVOGTVIM & WEDELIVM iuniorem audire neglexit. Hinc regresus Halam est a. MDCCVII, vbi pariter per annum est commoratus, & longe celeberrimi D. GEORGI ERNESTI STAHLII, informationi, cum maxime ei, quae ad praxin dicit, in primis se comisit. Elapso anno a. MDCCVIII. mense Nouembri Quedlinburum reuertit, & aliquamdiu paternis in laribus haesit. Quia vero a primo statim tempore, quo Medicinae studium est ingressus, apud animum suum statuit Belgium adire, ibique illud ita perficere, vt maiorem ex eo usum in rem communem dispensare posset aliquando, a. MDCCIX. destinata etiam perfecit, & principio veris iter ingressus mense Maio Amstelodami appulit, & cum lustrasset, quae in orbis illo compendio, alibique singularia & notatu dignissima occurrabant, id sibi putauit agendum, cuius causa eo venerat. Sedulus itaque dedit operam, vt peritiam, quam sibi iam compararat in Botanicis, Anatomicis, Chimiae atque Chirurgiae arte, magis perficeret, felicique se praxi praepararet. Eoque nomine cum viris istorum locorum celebrioribus, imprimis Rauio notitiam & familiaritatem contraxit, corporumque sectionibus & aliis operationibus, quae ad Medicam scientiam faciunt, interfuit frequens. Cum autem ea sit hominum, longa consuetudine inuecta non mala opinio, eum demum probari Medicum, qui Doctoris insignibus ac titulo est ma-  
tatus, eoque publico testimonio approbatus, rite quoque eum am-

biit ab ordine Medicorum Nobilissimo in celeberrima Academia, quae Traiecti ad Rhenum est, & non difficilem habuit, postquam Examina consueta cum laude subiit, & disputationem inaugurem, Chimico-Medicam de *menstruis Naturae & Artis*. MDCCX. d. IV. Martii sine Praeside cum plausu audientium habuit. Tertis est Disputatio, quod Medicinae licet Studiosus, probeque gnarus sciti illius Cornel. Celsi, *morbos non eloquentia, sed remediis curari*, c) non obiter tamen studia humanitatis tractarit, & Chimiae ac Medicinae peritiam habuerit non vulgarem. Qui enim optimos praeclarissimosque sectatores, is vti vim prodit ingenii iudicijque, & ardorem descendit, ita non potest non egregium ex eorum disciplina fructum referre. Rediit anno sequenti vere ineunte in patriam, & auspice Deo praxim medicam inchoauit, Deique munere feliciter exercuit. Per quatuor annos studiis & praxi sic vacauit, antequam ad matrimonium adiiceret animum: iniit autem a. MDCCXIV. d. xxvi. Junii cum virgine Nobilissima, cuique sexus virtutibus ornatissima, CHRISTINA MARIA HEIDFELDIA, viri Nobilissimi, Doctissimi Prudentissimique, IO. HENRICI HEIDFELDII, Senatus Camerarii, regiique iudicij Assessoris & Gymnasii Inspectoris, filia, nunc vidua moestissima, quod coniunctissimum felicissimumque, sed breuissimum fuit. Duos sustulit ac reliquit filios, IO. CHRISTIANVM, vix trimulum, & IO. HENRICVM, vix quadrimestrem, qui praematurum inopinatumque optimi parentis obitum nondum sentiunt, nec iacturam aestimare sciunt, & ab optimae matris nunc cura Deique munere sollicitam educationem exspectant. Neque ciuiles viro beato defuerunt honores. Etenim a. MDCCXVII. a Reuerendissimo Capitulo, sede nondum repleta, ad Amplissimi Senatus representationem, Consul ciuitatis antiquioris die III. Aprilis denominatus, & postridie solenniter inauguratus ac confirmatus fuit, quam dignitatem per annum, quo regens fuit, omni prudentia, aequitate & humanitate ita administravit, vt ciuitatis plausum atque fauorem meruerit, reliqueritque desiderium. Gymnasii nostri etiam non multo post constitutus est Inspector, qui vt singulari Musas amore prosequebatur, multumque carmine vernaculo nitide scripto, cuius ipse artifex erat, delectabatur; sic literarum cultores omni fauore amplectebatur, nec illius etiam muners defuit partibus, omnique studio & optauit, & quantum in ipso, elaboraturus fuisset, vt ordine decenterque ad incrementum iuuentutis, & ornamentum ciuitatis res scholasticae formarentur. Vitae rationes eas constanter tenuit, vt pietatem lectaretur, non quae ad speciem & infucata est, verbisque & gestu iactitatur, sed quae ex Dei verbo le-


c) L. I. p. m. 7.

eo auditoue recte de Deo rebusque diuinis sentit, & praecepta morum  
sanctoris vita habitu exprimere studet. Aliis, & quidem superiori-  
bus reuerentiam atque obseruantiam, aequalibus humanitatem & can-  
dorem, omnibus studia & officia exhibuit & approbavit. Neque  
enim vlli suum denegauit consilium atque opem, etiam si nulla spes  
esset praemii; imo tenuioribus etiam de victu & commodiori viuendi  
ratione prospexit. Singulari semper erga pauperes affectu fuit, nec facile  
quenquam tristem se abire passus est. Sed vt plurimorum sibi fauorem amo-  
remque adiunxit, ita votum omnium consentiens fuit, vt diurnior eius & vita  
& vñus fuisse. Nihil autem in rebus humanis firmum & constans est, & quae  
optime florent, praeter opinionem cito deficiunt. Noster beatus Consul in  
optimo acutissim flore constitutus, & vix XXXII. annum egressus spes longas vi-  
debatur posse inchoare; sed turbatae sunt rationes, & cum nemo quisquam opi-  
naretur, vitae statione coactus est decedere. Male habere coepit die II. Janua-  
rii, frigus primuni, mox aestum persentis, unde virium imminutio statim  
consecuta est. Ipse non solum arte sua malum idoneis medicamentis tolle-  
re studuit, sed & vna adhibuit in consilium Praenobilissimum, Amplissimum at-  
que Experientissimum virum, D. IO. CHRISTIANVM WOLFFIVM,  
Medicinae Practicum, ac Neapoleos Confulem meritissimum, vt coniunctis  
viribus in medium consulerent. Videbatur remittere morbus & vires redire,  
vt etiam die IV. & V. de lecto surgeret, & obambularet. Sed grauior, velut  
ex insidiis, rediit vi mali die post VI. Januarii, aestusque & virium imminutio  
maior subsecuta prodidit febrim malignam, cui tamen omni ratione itum fuit  
obuiam. Octauo die purpura emerlit per totum corpus; nono etiam albi-  
cantes pustulæ conspectæ fuerunt in pectori, sed mox euauerunt iterum, ob  
vires naturæ prorsus iam labefactatas. Hoe in statu cum esset beatus Con-  
sul, & intelligeret, haud emergere se facile posse, aduocari voluit virum summe  
Reuerendum, D. KETTNERVM, a quo, edita praesenti animo statui suo  
accommodata maxime confessione, coelesti Viatico fuit instructus. Etsi ve-  
to ita se praeparasset itineri coelesti, aduocatus tamen etiam fuit D. IO. HEN-  
RICVS Böllmann, Ciuitatis Quedlensis Phylicus celeberrimus; interea  
vero dum vocatur & accedit, mentis perturbatio quaedam motusque spafino-  
dici, breuiores tamen, sunt obseruati, vt hinc mortem instare vterque Medicorum  
iudicaret. Obiit eam adhuc eodem die IX. Januarii vesperi, & post horam  
X, placide obdormivit, cum vixisset annos XXXII. menses duos, & dies XXIX.  
Tumulatum corpus est atque repositum in templo ad D. Benedicti die XIII. Ja-  
nuarii sub vesperam in splendidissimâ frequentissimaque exequitorum praes-  
entia, ciusque memoriae funebris concio sacra, & Dominica Sexagesima  
habita est a viro summe Reuerendo, Magnifico, atque Amplissimo D. FRIDE-  
RICO ERNESTO KETTNERO, ad D. Benedicti Pastore, Antistite &  
Consili Ecclesiastici Senatorे meritissimo, quæ typis euulgata legitur. Atque sic  
in huius mundi theatro personam suam egit beatus Consul, non quidem nimis  
diu, sed ita tamen, vt omnium meruerit plausum, memoriamque praeclaram  
ac commemorabilem reliquat. Erigit benignissimum Numen viduam moe-  
stissimam, ciusque firmum & certum sit praecidium; idem illud filios etiam  
orphanos sic faciat educari benigne, vt verae pietatis atque virtutis infstant  
viis, & ad communem rei humanae utilitatem multum afferant aliquando.  
Quedlinburgi, d. XI. Febr. MDCCXIX.

**S**o bald der Tage Zahl von neuen ward gezehlt/  
War meine Pflicht bereit ein' treuen Wunsch zu bringen/  
Dass glücklich sey diß Jahr / und alles möcht gelingen/  
Dass ferne sey der Tod / und was uns Menschen quält.  
Ach ! aber ach ! der Wunsch ist in die Lüft geschehn/  
Man sahe bald das Haß besetet mit Eypreßen  
Es konte Sinn und Geist den Fall nicht recht ermeßen /  
Da man ein werthes Haupt must auf der Bahre sehn.  
Ein weises Haupt der Stadt liegt unverhofft erbläst/  
Ein werhes Eh-Gemahl sieht den von sich gerissen/  
Der herzlich Sie geliebt / den Vater muß schon misshen  
Das Kinder-Paar / das ihn gesehn als einen Gast.  
Des Menschen Wunsch bringt an / was Treu und Pflicht  
befiehlt/  
Und was sie glücklich hält ; bey Gott steht das Erfüllen/  
Und wenn des Menschen Sinn nicht ist nach seinen Willen/  
So ist der Ausgang schon ganz anders abgeziehlt.  
Auf zeitlich Glück wird fast des Wunsches Ziel gericht/  
Gott hat ein besseres an dessen Statt gegeben/  
Vor kürzer Jahre Frist das ewig-seelge Leben /  
Das ohne Kummer ist vor seinen Angesicht.  
Diß ist das neue Jahr / dergleichen Christian  
Dem Dritten ehmals ward in Dennemark versprochen/  
Das er antreten solt erfreut nach einer Wochen/  
Das man vor allen nur glückselig nennen kan.  
So ist der Wunsch erfüllt nach Gottes weisen Rath/  
Vergnügen ohne End / und Leben ohne Leide/  
Und Friede ohne Streit / und ungefalschte Freude ;  
Hat nun der SELIGE erlanget in der That.

Dem wohlseel. Herren Burgemeister zum Andencken, und der  
hochberührt. Frau Witwen, als seiner Frau Ge-  
batteria zu einiger Aufrichtung, schrieb mit be-  
trüster Feder

M. T. Eckhard, des Hoch-Fürstl.  
Gymn. R.






Zd 2436. FR.

X 2324527

m6





MEMORIAE  
V I R I  
PRAENOBISSIMI, AMPLISSIMI  
atque EXPERIENTISSIMI  
DN.  
**IACOBI HENRICI**  
**PFANNENSCHMIDII,**  
MEDICINAE DOCTORIS & PRACTICI  
CELEBERRIMI, CIVITATIS ANTIQVIORIS QVED.  
LINBURGENSIS CONSVLIS ET ILLVSTR.  
QVEDLEI INSPECTORIS  
MERITISSIMI,  
COMPATRIS SVI ETIAM POST FATA OMNI  
HONORIS GENERE PROSEQVENDI,  
OVI PRAEMATURA MORTE  
A. c1510 ccxix. d. IX. Januarii  
DECESSIT,  
SACRVM ESSE VOLVIT  
**M. TOBIAS ECKHARDVS, R.**

QVEDLINEVRGI,  
Litteris IO. GEORGII SIEVERTI, Typogr. Aulic.